

habere desideras. Proposito ipso intronizationis die, ecce ascensio recta æquatoris à principio γ est 35. gra. 32. mi. iam si cupiam & arcum eclipticæ sibi respondentem inuenire in sphaera obliqua, atq; adeo eleuato ibi polo ad 48. gr. ubi talis etiam intronizatio facta est. Principio quaero per 8. ppositionem arcum eclipticæ in sphaera recta cum arcu æquatoris ascendentem, in hunc modum: Duco sinum cõplementi huius ascensionis rectæ scilicet 35. gra. 32. mi. qui gradus sunt 54. & minut. 28. sinus aut 81377. in sinum maximæ declinationis solis 39874. diuido deinde quotientem in totum sinum, qui erit 2448. arcus illius 18. gra. 56. mi. hoc sanè subtrahò à 90. & remanent adhuc 71. gra. 4. mi. sinum istius si mihi pponam simul cum sinu ascensionis rectæ, scilicet 58117. minorẽ quoq; ducã in sinum totum, pductum uero diuidam in maiorẽ, proueniet inde 61441. arcus eius erit 37. gra. 55. mi. qui etiam arcus est eclipticæ à principio γ , respondens arcui æquatoris in sphaera recta in ascensu. Adhuc amplius inquirò per 5. punciatum istius arcus eclipticæ declinationem ab æquatore, & quia arcus ille 37. gra. 55. mi. directè pertingit ad 7. gra. 55. mi. δ , quaero iam adhuc ipsum gradum & minutum δ declinationem hoc modo. Duco sinum arcus 37. gra. 55. mi. in sinum maximæ declinationis \odot , scilicet 39874. productum diuido in sinum totum, & prodibit 24499. arcus illius est 14. gra. 11. mi. declinatio nimis arcus eclipticæ quaesita. Postea ad huc sinum arcus ascensionis rectæ æquatoris 58117. duxi in sinum totum, pductum diuisi p sinum arcus eclipticæ ei in ascensione recta respondentem, & prouenit in quotiente 94589. arcus ipsius est 71. gra. 4. mi. qui quia finitur in medietate eclipticæ ascendente, subtraxi iam 71. gra. 4. mi. à semicirculo, & remanserunt gra. 108. mi. 56. atq; hoc inuentum dico primum. Deinde sinum altitudinis poli 48. gra. 74314. duxi in sinum declinationis extremitatis arcus eclipticæ, scilicet 14. gra. 11. mi. 24499. pductum diuisi in sinum totum, & quoties est 18206. arcus autem illius 10. gra. 29. mi. inuentum illud secundum. Insuper etiam sinum cõplementi altitudinis poli 66913. tanq; minorẽ in sinum totum duxi, diuisi eundem in sinum cõplementi secundi inuenti, scilicet 79. gra. 31. mi. 98330. & prouenit in quotiente 68049. arcus eius 42. gra. 53. mi. adpellabit inuentum tertium, hoc deinde ipsum à primo inueto subtraxi, hoc est 42. gra. 53. mi. à 180. gr. 56. mi. residuum est 66. gra. 3. mi. quorũ sinum 91390. duxi in sinum cõplementi secundi inuenti 79. gra. 31. mi. hoc est 98330. productum diuisi in sinum totum, & prodijt in quotiente 89864. arcus illoꝝ sinuum est 63. gra. 59. mi. quibus subtractis à 90. remanent 26. gra. 1. mi. Postremo ppono sinum istoꝝ 26. gra. & 1. mi. scilicet 43863. & sinum secundi inuenti 18206. hunc tanq; minorẽ duco in totum, pductum diuido in 43863. & prodijt in quotiente 41506. arcum illius, puta 24. gr. 31. mi. si iuxta regulam siue præscriptum operationis, propter medietatem eclipticæ ascendentem addidero ad arcum eclipticæ 37. grad. 55. mi. prouenient utiq; 62. gra. 26. mi. eclipticæ, quæ cum illa ascensione siue arcu æquatoris 35. gra. 32. mi. in eleuatione poli 48. gra. ascendunt, siue horizontem attingunt planè in 2. gra. 26. mi. Π , ubi tunc sol erat in ipso die intronizationis ornatissimi Præsulis Augustani. Ecce q̄ operosa & prolixa operatione hac idem illud adinueni, cuius contrarium superior ppositio facili & cõpendiaría uia mōstrauit, quãuis in reliquis tribus quartis zodiaci à ♄ usq; ad ♌ , & inde à ♌ ad ♍ , atq; à ♍ ad γ aliquando alia operatio est, attamen mihi consultum uisum est, illas nullis peculiaribus exemplis indicare; quisquis em̄ operationem hanc cum exemplo adiuncto recte intellexerit, is etiam in reliquis illis nō aberrabit, sed ubiq; facile se extricabit, nos igitur aliò iam properabimus, animum & cogitationem eleuaturi ad altitudinem solis super horizontem.

PRONUNCIATVM XX.

Altitudinem solis in circulo uerticali (dummodo sit in signo aliquo septentrionali) inuestigare.

Iam supra pronunciato 12. edoctus es, quidnam sit ortus æquinoctialis, quãobrem si uacuũ fuerit idem hic denuo cõmemorare, tm̄ ne ignores, quid hic nomine circuli uerticallis intelligamus, illũ tibi breuiter describemus. Vertex igitur siue punctus uerticallis, est punctus cœli capiti tuo directè imminens, si modo tu stes erectus, monstrat punctum illum tibi filum suspensum, ex quo plumbi massa, aut aliud quiddã graue dependeat, quẽ igitur superior fili pars in cœlo locum demonstrat, ibi scias esse punctum uerticalem, Arabes zenith uocant